



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Resolvitur quandonam CApellanus obligetur, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

§ III. De impedimento ex parte temporis, & aliarum circumstantiarum.

De impedimento ex parte temporis tum ex proximè dictis, tum ex dictis *cap. 3.* satis superque colligitur, quid sentiendum sit. Idem de ceteris impedimentis, v. g. quod non inveniantur, nulla Capellani culpa, Calix, vestes sacræ, Hostia, & similia; ex dictis enim facile quis intelliget ad quid in ejusmodi casibus Capellani obligare oportebit.

CAPVT VI.

De obligatione Capellani ad removenda, vel non apponenda impedimenta celebrandi, quando ea non apponere, vel removere potest.

Capellanus obligatus eras; perendie, sequentibus diebus per se ipsum celebrare, est v. g. infirmus, vel carcere detentus, vel excommunicatus, &c. quam obligationem habet removendi impedimenta carceris, vel morbi ad finem adimplendi debitas Missas; Rursus, si permittat se in carcere conici, si in remotas regiones discedat, si Missale projiciat, sanè impeditur, nec possit sacrificare; quærimus, quam obligationem habet hujusmodi impedimenta non apponendi?

§ I. Præmittitur aliqua necessaria pro resolutione questionis.

Hæc, & similia decernamus, præmittendum est, quoties quilibet obligatur ad observandam aliquam legem, obligari etiam ad non apponenda impedimenta, & ad ea tollenda, si adsint, quæ obstant observationi legis. Si quis, v. g. obligatur audire Missam, obligatur etiam ad surgendum è lecto, quod est impedimentum illam audiendi. Ratio est, quia Superior, qui præcipit finem, censetur, & media ad ipsum præcipere, secus non efficax finem vellet, & sanè desiceret, si veluti terminum volens non curaret de viâ; non apponere autem, vel tollere impedimenta, unum est ex mediis ad habendum finem.

Quoniam vero non semper obligamur omnia omnia impedimenta removere, seu non ponere, statim enascitur difficultas, ex quoniam modo nobis constare possit, quænam obligemur, quæ vero non item? Et quidem varij modi afferri solent. Ille à Sanc. lib. 1. in dec. c. 15. & à Meroll. *nm. 2. d. 4. de leg. dub. 37.* repetitus, ferè nunc ab omnibus recipitur; quod scilicet spectanda sint quatuor. Primo, vis, & rigor præcepti, quædam enim benignius, quam alia explicantur, ac minoribus causis excusantibus indigent. Secundo, necessitas, & utilitas, quam affert ejusmodi impedimentum, de quo an tolli, vel non poni debeat dubitatur. Tertiò, vicinitas, aut distantia, quam tale impedimentum, vel medium habet ad rem præceptam: minus enim distat ab impedienda auditione Sacri iter à me corripum die Iovis, & die Sabbati quam ipso die Dominico. Quarto, conjunctio per se, vel per accedens, seu intrinseca, vel extrinseca, quam habet medium cum materia seu re præcepta. Magis enim, v. g. per se, & intrinsece conjungitur Breviarium cum recitatione Horarum, quod per se ad illas requiritur, quam conjungatur bona valetudo, aut non esse excommunicatus cum auditione Missæ, quæ solum per accedens ad illam pertinere videtur.

His diversimodè in singulis præceptis computatis, judicandum erit (ait *ibidem* Sanchez) an culpa sit admittenda, vel non prohibere impedimenta illis præceptis obnoxia. Sed id fuscè persequi ad nos non pertinet: poterit legi Callistopalus *nm. 1. d. 1. de leg. p. 1.* & Merolla. *dicto* *dub. 37.* alique ab ipsis citati.

Præmittendum secundo, in materia, de qua nos agimus, adesse unum, quod magis, quam in aliis materiis urget Capellani ad prædicta impedimenta tollenda, vel non tollenda: nos enim hic supponimus adesse

pañum inter Testatorem, & Capellanum, seu inter Missas exposculantes, & inter promittentes, quare cum hic urgeat titulus iustitiæ, qui fortior est ceteris, major erit obligatio Sacerdotis. Fac, v. g. te debere centum Petro, ex contractu emptionis cum illo inito; certè non solum, eodem die, quo, ex conventionione solvere debes, sed etiam in quocumque præcedenti, pro die conventa, urgeris ad tollenda impedimenta solutionis, si potes, immo & ad moralem diligentiam adhibendam, ut pecuniam pro eodem die habeat. Id quod non tam rigide obligatis præstat in observanda, v. g. aliqua lege: neque enim obstringis ante tempus obligationis tam stricte impedimenta quæcumque tollere, & media adhibere, v. g. non obligaris duobus, vel tribus diebus ante diem festum abstinere à minere, ne scilicet ponas impedimentum ad audiendum, eodem festivo die, Sacrum.

His positis, rem hæc satis ex se variam, quinque diebus expedio.

§ II. Resolvitur quandonam Capellanus obligetur non apponere, vel removere impedimenta celebrandi.

Dico primò; Capellanum, ut suæ obligationi satisfaciatur, non posse die eodem, quo celebrare obligatur, ponere impedimenta per se obstantia Sacrificio. Hinc non potest se eodem die inebriare, dormire, confabulari, Missale proicere, vestes cæteraque Sacra instrumenta in arca reposita non extrahere, vel de loco vicino non accipere, &c. Ratio est, quia si hæc eodem die poneret, clarè convinceretur nolle suæ obligationi satisfacere.

Dico secundò, nec ante tempus obligationis posse Capellanum apponere voluntaria impedimenta, quamvis per accedens obstantia, nisi ex verbis Fundatoris, vel præsumpta ejus mente, ei aliquid permittatur. Ratio ducitur ex rigore tituli iustitiæ jam dicto.

Hinc deducitur Primò, an si Capellanus se inebriat ante tempus urgens celebrandi, peccet contra pactum initum; Secundo, quid si aliud discedat, ubi celebrare die statuto non possit; Tertiò, quid si ante dictum tempus proiciat Missale, vel Ecclesiæ claves; Quarto, quid si cibum nocivum comedat, vel quid simile faciat, quo infirmetur, & sic sacrificare non valeat, Agnus autem, quando non adest legitima excusatio, vel quando non suffragatur aliqua facultas juxta supradicta, vacandi, vel aliquid simile.

Puto enim in Primo, Secundo & Tertiò peccari à Capellano cum obligatione restitutionis; in Quarto non item. Ratio est, quia se inebriare, vel discedere à loco Sacrificij, ut item Missale, seu claves proicere est veluti directe inito pacto velle contradicere: At comedere cibum nocivum, vel quid scire, quo in morbum incidat, non ita, & ex alia parte, nec ex voluntate Fundatoris, nec ex consensu subsecuto Capellani, præsumendum est, ipsum obligari ad sanitatem tuendam, propter hunc determinatum finem celebrandi.

Dico Tertiò. Si Capellanus sit infirmus, si carcere detentus, si simili impedimento constructus, non obligatur sanitatem, vel liberationem procurare, ut satisfaciatur obligationi celebrandi, nisi quid expresse in Fundatione dictum sit. Ratio est, quia non puto Fundatorem voluisse suum Capellanum in his corporalibus impedimentis involuntariis, quæ multum per accedens se habent ad celebrationem Sacrificij, tam rigide obligare, dum modo quando potest, & quando iuxta dicta c. 5. §. 1. & 2. debet supplere dictus Capellanus per alium.

Dico Quarto Si idem sit excommunicatus, suspensus, interdictus, ut etiam si per ipsum stet, quod locus, ubi celebrare debet, sit interdictus, obligari videtur ad procurandam absolutionem, semper intelligendo, si non potest per alium, vel alibi supplere. Ratio est, quia hæc sunt directa impedimenta Sacrificij ad quæ excludenda, cum potest, ratio iustitiæ omnino Capellani m. cogit.

Dico Quintò, Quando cibum nocivum sumere

vel quid simile facere Capellano permittimus, quo impeditur Sacrificium, licet, si id prævideat, adhuc posse permittimus; nonquam tamen concedimus, id posse intendere. Ratio est, quia dum solum prævidet, utitur iure suæ libertatis à Fundatore verisimiliter non ablato, at dum intendit, facit contra pactum cum eodem Fundatore celebratum, qui nunquam id concessit, immò negavit: si quidem dum eum obligavit ad sacrificandum, obligavit ad volendum Sacrificium, non vero permittit illud nolle, nollet autem, si comederet nociva, ut impeditus morbo, Sacrum omittere cogeretur.

§. III. An Capellanus impedimentum violationis Ecclesiæ tollere teneatur.

Vbi.

Traduntur nonnulla de Violatione loci Sacri, ejusdemque Reconciliatione.

Antequam id decernam: Præmitto Primo, quod in Ecclesiâ quantumcumque consecrata, si per aliquod ex sequentibus delictis, (& quidem, satis probabiliter, ex Suarez de Sacram. d. 8. s. 4. §. His positis Fagund. aliisque relatis à March. tract. 3. p. 3. cap. 10. n. 10. non secretis, sed publicis) violata sit, hoc est sive per homicidium, sive per sanguinis, seminisve effusionem, sive per sepulturam infidelis, quamvis infantis, sive per sepulturam excommunicati, qui tamen post Concilium Constantiense nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percussor fuerit; non potest licite, & sine mortali, sacrificari, nisi prius reconcilietur, quamvis, sic sacrificans ex Suar. loc. cit. §. Sed querit Sà, P. Eccl. num. 10. Rodriq. tom. 1. q. reg. 16. art. 6. ex cap. qui, de sent. excomm. in 6. nec suspensus maneat, nec irregularis, vel nisi in casu necessitatis de licentia Episcopi. Talem fuisse Panormi indicavit P. Bernardinus Piccinus Societatis Iesv, Theologus, Doctrina, & Sanctitate insignis, cum Ecclesiâ Cathedralis mane ipso die Pentecostes, in quem incidit festum Sanctæ Christiænæ Patronæ Civitatis, fuisset, per effusionem sanguinis, violata. Immo necessitas tanta posset esse, ut si ad Episcopum recursus non pateret, ejus licentia non esset necessaria; ex Suarez, & Fagund. apud March. de ord. tom. 4. p. 3. cap. 10. n. 2. Talem indicat Delugo mox citandus, si in festo Populus aliam Ecclesiâ non haberet, in qua Missam posset audire.

Hæc autem, & huc pertinentia, cum passim à Doctores, & quidem latissime, tractentur, non est cur & nos inculcemus. Lege Joannem Delugo de Eccl. d. 20. s. 2. à n. 2. qui fere universa, breviter, & cordate complectitur. Lege item Marchinum loc. cit. authorèque ab ipso citatos. Lege denique infra lib. 2. cap. 7. §. 5. ubi dicemus, quid faciet Sacerdos, si incepta Missa, contingat violari Ecclesiâ.

2. Quoad Reconciliationem recolendum est, quod Ecclesiâ ubi Sacrificium Missæ celebratur, vel est consecrata, vel benedicta, vel solum ab Episcopo, seu alio potestatem habente, ad divina officia deputata, ut ex supra dictis, de loco Sacrificij, patet. Jam, si solum sit deputata, violarique contigerit, reconciliatione probabiliter non indigere, docent Navarr. Henric. Sotus apud Delugo citatum n. 59. alique, quibus adde Suar. de Sacram. d. 18. s. 4. §. Quinto violatur, si licet contrarium videatur docere tom. 1. de Relig. tract. 2. cap. 9. n. 2. & 3. id quod nobis satis est. Si sit benedicta, quilibet Sacerdos simplex, aqua per ipsum simpliciter benedicta, potest illam: formula petita à Rituali Romano reconciliare. Ita Layman, lib. 3. tract. 5. cap. 1. num. 12. alique, colligiturque ex e. ultim. de consecrat. Eccl. id quod supra diximus lib. 2. cap. 7. §. 5. Quod si aliqui Religiosi facultatem obtinuerunt à Summo Pontifice, Ecclesias suas solum benedictas, reconciliandi, id, vel factum est, ad scrupulos eximendos, vel quia contrariam sententiam

sequebantur. Denique si sit Ecclesiâ consecrata, & debere ab Episcopo, aqua, per ipsum, cum benedictione, & cinere benedicta reconciliari, dubium non est. nec dubium mihi est, Episcopum ejusmodi facere delegare non posse simplici Sacerdoti, atque deo Vicario suo, qui non sit Prælati. Ita Delugo de Eccl. d. 20. s. 4. n. 67. Alique (quidquid dicunt Rodriq. Sà, Silvius apud Dianam p. 2. tract. Missæ, n. 1. Ratio est, quia præter id, quod supra lib. 1. cap. 2. in simili diximus, sic clarè decidit cap. Apud, in Ecclesiâ. Possit denique ex delegatione Summi Pontificis à Mendicantibus, & participantibus cum illis, quibusdam conditionibus, ejusmodi consecrationes reconciliari, habes in Bulla Leonis X. in Rodriq. Bulla 6. Leon. X. & apud Portellam in del. Eccl. in Add. n. 1. Rodriq. tom. 1. quest. Reg. 19. art. 4. canon. Tamburin. de jur. Abb. disp. 18. quest. 3. n. 4. Ratio ipso, forte, in Ecclesiâ violata, petito, an reconciliari potest, dictum est lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 3.

3. His positis: facile responderi potest ad prætam in titulo Dubitationem. Dico enim Capellani seu quemcumque obligatum ad Missam hodie, in tali loco gubernandum, si contingat cum violata Reconciliatio dependeat ab ipso (secus si violationi locus non est, sed recurrit doctrina cap. 7. §. 2.) quia potest v. g. habere Rituale Romanum, ubi præscriptum est, quod si contingat, ad Reconciliandum non pertineat Ecclesiâ reconciliari, quia nunc supponimus eum teneri ex stipendio, vel alio modo, iustitia requirit, ut impedimentum violationis, quod tollere ipse potest, tollat, sicut cap. 7. num. 9. de aliis similibus, impedimentis dictum est.

Hæc notasse sufficiat, nam ex his ita decidantur les casus non difficili negotio decidentur.

CAPUT VII.

De legitima præscriptione quondam Missæ.

Quandom Sacerdos, vel Ecclesiâ contra ea Missarum præscribit?

1. Si concurrant conditiones requisitæ à iure ad præscribendum, præscribi etiam contra Missam. Ratio est, quia universaliter potest legitime præscribi contra ius alterius latissimè, nec unquam in proprio facta est in iure, quod non curat præscribere onera Missarum, seu contra voluntatem Defuncti, cum quibus tamen, quia reclamare non possunt, agendum, ac si essent absentes, contra quos longè tempus requiritur ad præscriptionem.

Hinc fit, ut Capellania, quæ in sui Fundatione onerata Missis quotidianis; nunc possit cum onere inveniri: atque adeo Capellani, seu Ecclesiæ, non obligari, (si dictæ conditiones legitimæ præscriptionis adsint) nisi ad hoc minus Missarum onus, nunc invenitur.

2. Conditiones autem sunt Possessio, Titulus, Tempus, Continuatio possessionis cum eadem fide bona. Tempus lege præscriptum, de quibus passim Doctores. Lege Molinam tract. 2. de inst. & iure d. 60. Corneum de Leg. Possessor. 2. p. cap. 5. aliosque. Cum autem aliter præscribitur inter absentes, quam præsentibus, idcirco ad bona quoad bona stabilia, quam mobilia: idcirco ad bona præscribendum, cum sit inter absentes, ut modo præscribimus, & quidem, ut supponimus, stabile & perpetuum requiritur cum titulo viginti annorum decursum, vel lo triginta, l. male fidei, cap. de Præscript. longi temporis vel 20. annuor. Inst. de usuc. §. 1. cap. de Quarta de Præscript. & communiter, quæ omnia nobis satis sit intima.

3. Alicubi, vel non adest, vel non est accepta